

<https://www.thelatinlibrary.com/ter.adel.html>

(Akt 1, Szene 2)

(...)

DE. Pro Iuppiter! tu, homo, **adigis** me ad insaniam. 111

non est flagitium facere haec adulescentulum? **MI.** Ah,

ausculta, ne me **optundas** de hac re saepius.

tuom filium dedisti adoptandum mihi:

is meus est factus: siquid **peccat**, Demea,

mihi peccat: ego illi maxumam partem fero.

scortatur, potat, **olet unguenta**? de meo;

fores ecfregit? **restituentur**; **discidit**

uestem? **resarcietur**. est dis gratia,

et est unde haec fiant, et adhuc non **molesta** sunt.

postremo aut desine aut **cedo** quemuis **arbitrum**:

te plura. in hac re peccare ostendam. **DE.** Ei mihi!

pater esse disce ab illis qui uere sciunt.

MI. Natura tu illi pater es, **consiliis** ego.

DE. Tun consiliis? quicquam.. **MI.** Ah, si **pergis**, abiero.

DE. **Sicine** agis? **MI.** An ego totiens de eadem re audiam?

DE. Curaest mihi. **MI.** Et mihi curaest. uerum, Demea,

curemus aequam uterque partem: tu alterum,

ego item alterum. nam curare **ambos propemodum**

reposcere illum est quem dedisti. **DE.** Ah, Micio!

MI. Mihi sic uidetur. **DE.** Quid istic? tibi si istuc placet,

profundat perdat pereat! nihil ad me attinet.

iam si uerbum unum posthac . . **MI.** **Rursum**, Demea, 135

irascere?